De formis Futuri Linguarum Hebrææ & Arabicæ commentatio

quam

Jubente Ampl. Philos. Ord. Lund.

p. p.

S. FR. KROOK,

Phil. Mag. Lingg. Hebr. & Aram. Docens.

Respondente

J. O. ALBRECT,

Scano.

In Academia Carolina die XXI Dec. MDCCCXLI.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT CAROLUS FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS,
MDCCCXLI.

Högärevördige och Höglärde

Herr Magister P. J. BÖKLIN,

Rector Scholæ, utn. Kyrkoherde öfver Köpinge och Lyngsjö Församlingar

egnas detta arbete

vördnads- och tacksamhetsfullt

af

J. O. ALBRECT.

Ab eo inde tempore quo coepta est lingua Hebræa, siquidem non viva, attamen qualis eadem in antiquissimis religionis historiæque monumentis asservatur, hominum doctissimorum ad se trahere animos, diligentius legi et sagacissimis subjici disquisitionibus, jam illi quidem, ut hæ faciliores redderentur atque perfectiores, certos designare et constituere inter *Hebraismum* et *Arabismum* limites conati sunt, jam, idque præcipue sæculo proxime præterlapso, admirabilem investigare convenientiam dialecti Hebrææ cum Arabica in universo harum linguarum ambitu. Quæ tamen hoc in genere apparuerunt studia clarissima, sunt persæpe justo longius evagata, præsertim cum id spectarent ut, neglectis iis, quæ utriusque dialecti sunt propria, certam quandam et in rebus omnibus continuam convenientiam elicerent atque confirmarent. Quam in hallucinationem potissimum induxit socia utriusque harum dialectorum pariter ac linguæ Aramææ origo, quæ ut manifesta ita numquam in dubium vocata est. Quæ illis in-

tercedit similitudo communem evincit sanguinem, ex quo genitæ sese temporum decursu in varias species ejusdem generis tamquam in ramos ejusdem stirpis diffuderunt. Qua vero via hæc mutatio et diversitas exstiterit et suam quæque lingua induerit formam, jam tenebris antiquitatis ita implicitum est, ut deficientibus certis sui vestigiis, vix umquam rite enodari possit. Intellectu quidem facile est, varias fuisse causas, quæ ad ejusmodi mutationem fecerint, ut migrationes, diversum coelum, consuetudinem cum aliis populis vicinis, bella, colonias, mercaturam etc., unde alia vivendi et sapiendi ratio, diversus in litteris et artibus progressus, diversus quoque rerum divinarum cultus non raptim sed pedetentim se ingesserunt; ad quam rem plane illustrandam certiora historiæ testimonia una cum litterarum artisque monumentis requiruntur. Illa quidem apud Hebræos inveniuntur, quæ vero quamvis in remotissimam descendant vetustatem atque adeo huic populo ætatis principatum adhuc vindicare videantur, quantumvis eundem litteraturæ Indicæ amici, nimio quodam capti amore novi orbis, ad cujus thesauros aperiendos contulerunt, infringere conentur, Hebræa tamen lingua non mater habeatur ceterarum dialectorum Semiticarum, sed cum illis sororia tantum societate conjuncta. Qua autem ætate hæ sorores e paterna domo dissociatæ sint, non minus difficile est cognitu, quam quæ ex caussis, modo allatis, potissimum ita affecerint familiam dissipatam, ut ejus dialecti dissimiles esse coeperint. Etenim plerumque accidit, ut ejusmodi dissociationum, id quod varia linguarum occidentalium genera satis superque commonstrant, suam quæque ingrediatur viam, unde linguæ cognatæ leges formationis et progressus inter se quidem similes, non vero easdem vulgo exhibent. Cum vero in dijudicanda ratione, qua primitus erant dialecti Semiticæ invicem conjunctæ, qua deinde

dissociciatæ sunt et in varias abiere species, non plus, quam quantum conjectura assequi licet, perspectum habeamus, non nisi quales jam se nobis offerunt, certius examinare possumus. Dialecti Hebræa et Arabica, quarum partem exiguam in examen vocare nobis injunctum est, ut manifestam ostendunt cognationem et magna gaudent similitudine, sic etiam multa exhibent, quæ inter se sunt valde dissimilia. Nobis vero jam in animo non est fusius exponere, quam dispari sint ambitu, in quantam ubertatem lingua Arabica magis magisque accreverit et exculta sit, quam longe lateque disseminata, quantam habeat vim ad res gestas pariter ac divinas atque omnia ea, quæ ad humanitatem pertinent, cognoscenda; nec vero lubet disquisitione comprehendere vetustatem, qua lingua Hebræa sine dubio præstat, respectis iis, quæ litteris consignata sunt, monumentis; qua quidem ratione multis enodanda ea videntur, quæ ex narratione rerum hasce linguas in locos longe distantes collocant; hoc autem tempore plurimi interest, rationem quoad fieri potest introspicere, qua in formatione coalescant, qua denique ex caussis externis hac ipsa distrahantur. Quemadmodum in finibus populorum, quam prope invicem adjaceant, describendis ad rerum civilium exitum variæ res externæ magnam habent vim, sic iidem, cum de cognatione linguarum quæritur, sæpius moventur a rebus ejusmodi, quarum vestigia historia vix possit indagere. Ne vero in observationes circa totum harum linguarum complexum aberremus prohibet auctoritas, quæ nobis stat pro lege, quæque nobis injunxit, ut in particula quadam Grammatices, *in formandis Futuris*, præcipue moremur. En igitur tibi, B. L.. utriusque Futuri formationis schema:

Futurum Arabicum

يَقْتُلُ	تَقْتُلُ
تَقْتُلُ	تَقْتُلِينَ
أَقْتُلُ	
يَقْتُلُونَ	يَقْتُلْنَ
تَقْتُلُونَ	تَقْتُلْنَ
نَقْتُلُ	

Futurum Hebraicum

יִקְטֹל	תִּקְטֹל
תִּקְטֹל	תִּקְטְלִי
אֶקְטֹל	
יִקְטְלוּ	תִּקְטֹלְנָה
תִּקְטְלוּ	תִּקְטֹלְנָה
נִקְטֹל	

Ecquid cernimus? Convenientiam sane tam illustrem, ut ipsos Aramæos longo intervallo post se relinquat. Ne ovum quidem ovo potest videri similius. Prima igitur et quidem simplicissima hujus modi inflexio in lineamentis quoque minimis proximam prodit affinitatem. Etiam quæ in personarum distinctione a communi formationis via et consuetudine abhorrere videntur, quorum explicatio sæpe sollicitos tenuit et adhuc vexat harum literarum Apollines, ea in utraque dialecto plerumque reperiuntur, et si qua ab alterutra parte in exceptionum loco ponenda essent, hæc certe nonnumquam in uno alterove exemplo parem referunt speciem, atque adeo ad mutuam valent illustrationem. Neminen sane fugit, notas personarum, a pronominibus personalibus correptas, in futurorum formatione esse, quantum ejus fieri potuit, præpositas, alias postpositas, utroque autem modo stirpi tam arcte annexas, ut ex partibus detruncatis haud facile dignosci possint pronomina separata. Præmissæ literæ præformantes characteristicæ futuri, personarum, generum et numerorum indices, sunt quattour איתן, voce technica Ethan, Arabice أتين, dictæ. Simplex hac in re processus haud admodum desiderat explicationem. Infinitivus est fundamentum, quo futurum superstruitur, et cum in personarum varietate pro-

xima censenda sit tertia persona sing. masc., utpote in præterito nuda stirps, in futuro construendo etiam primum teneat locum. Præterea ethymologica hujus personæ distinctionis explicatio plus affert difficultatis quam ceteræ. Hoc tamen inter omnes convenit, notam generis masculini י, quæ est utrique numero communis atque in lingua Arabica insuper tertiæ personæ feminini pluralis præfigitur, (cujusmodi exempla etiam Hebraica nonnumquam offert, [1]) ex pronomine separato tertiæ personæ הוּא, هُوَ esse detruncatam. Quod vero heic ex Arabum dicendi more, qui literam ו utpote initialem usurpare haud dubitant, objiceretur, ejusdem expediendi haud difficilem et sane verisimilem suppeditat rationem affinitas illa, qua sunt litteræ ו et י conjunctæ, unde fit, ut altera alterius persæpe sustineat vices. Hæ et ejusmodi res, quæ alias mirae in lingua Arabica videantur, sunt ex eo forsitan tempore repetendæ, quo eadem excoli coepta est atque ex ea affinitate, qua adhuc cum Hebræa arctissime conjuncta fuit; quare si quis contenderit, easdem nonnisi particulas esse huic intimæ conjunctionis ætati superstites, nos non habebit valde repugnantes. Tertia feminini singularis, cum in lingua Hebræa tum Arabica et in illa etiam in plurali, ubi litera *t* præponitur, majori implicita est obscuritate. Hoc nimirum *t*, in lingua Hebræa in utroque numero obvium, unde forma eandem habet literam præmissam, quam forma secundæ personæ masculini, suos semper injecit scrupulos. Heic tamen vetus illa et solita, ut sæpissime fert consuetudo, explicatio forsitan erit optima, literas *t* e *h* eo societatis vinculo contineri, ut altera in alterius locum nonnumquam succedat, sive demum sit propter euphoniam, sive propterea quod *h*, utpote litera characteristica peculiaris Conjugationis nobilius sibi injunctum

[1]) Ex. gr. יַעֲמֹדְנָה Dan. VIII. 22. Cfr. Gen. XXX. 38. 1 Sam. VI. 12.

habet munus, atque adeo cum litera pronominali afformante commutari non debet. Lingua Arabica expeditiorem certioremque præbet exitum; in eadem enim *t* ex terminatione feminini *at* in tertia persona præteriti sine dubio repetitum habeatur; quare neque ad Cl. *Ewaldii* literæ corroborationem confugiendum est, neque ad Cl. *Gesenii* opinionem, hanc ipsam literam *t* ex secunda tertiæ personæ quasi obrepsisse. Altera dialectus alteri hac in re subsidio est. Hebræa lumen affert Arabum *i*, utpote notæ tertiæ personæ, et Arabica Hebræorum *t*, utpote notæ tertiæ personæ feminini. *U* -*un* (hoc etiam in lingua Hebræa quamquam rarius) terminationes plurales tertiæ personæ ex pronomine *hum* ortæ, tamquam in præterito non distincto genere קָטְלוּ, heic masculinum representant, *nah* vero terminatio pluralis simul nota generis et numeri esse videtur. Quamadmodum autem in lingua Arabica litera illa *n* utpote nota pluralis nuda apparet, ita eadem in Hebraica considerari posset, atque *ah* notam generis constituens; ejusmodi autem distinctione non opus esse videtur, nam unicuique patet, disfractam illam vocem non aliam ac femininum plurale *hennah* esse. Quare *t* etiam heic locum *h* supplet. Litera illa *t* personæ secundæ in forma singulari detruncata est e pronomine secundæ personæ separato, litera *t* inde assumta, et *i* indice similiter feminini sexus ad finem adformata accentumque ad se rapiente, quod præcipue factum esse videtur, ut masculina a feminina forma distingueretur, quemadmodum apud Syros in verbo eadem litera *i* formam femininam plerumque denotat. Secunda pluralis masculini conformatur *t* præmisso e pronomine personali, quod olim quoque *attum* audiebat, unde *u* sumtum et fini annexum fuerat. Eadem persona feminina adsciscit *t* ab initio, *nah* vero ad finem ex *atennah*. In hac formatione Cl. Gesenius nullam nisi vim paragogicam literæ *ah* subjicit, Neque tamen

plane repudianda videtur sententia Cll. *Schultens*, *Storr* et *Vater*, qua ponitur *ah* ab *hennah* detruncatum esse, licet ejusmodi transitus litteræ ab una in alteram personam varia difficultate laboret. Utcumque vero sit, artificio non opus est ad ea, quæ per se clara sunt et simplicia, obscuranda. Quomodo prima persona utriusque numeri ad sui constitutionem literas detruncaverit e pronomine personali, in controversiam nusquam fuit vocatum. Primæ personæ singulari notandæ inservit *a* ex *ani* -*ana*, plurali *n* ex *nachnu*, ut numero diversis literis distincto finali quadam accessione non opus fuerit. Dualem missum facimus, quia nullam cum lingua Hebræa, quæ hac luxuriante forma caret, comparandi occasionem afferat. Dualis forma non nisi cultioris linguæ Arabicæ periodi propria esse videtur. Offert tamen sese omnino huc usque in futuris formandis mirabilis convenientia. Initiis vero istis inhærere nec par nec fas est. Plurimi interest, si vel hæc res nostra cuiquam levis videatur, conformationes atque mutationes illas graviores investigare, in linguis, tam arcto affinitatis vinculo conjunctis, obvias, quarum altera jam exspiravit, altera, jamdiu pleno vigore gaudente, multitudo hominum fere innumerabilis utitur.

Similitudo itaque illa insignis, quæ oculis sese offert sensim evanescit respecienti non minus exceptiones internæ formationis, ex mutatione vocalium, in literis pronominalibus radici connectendis, præponendo vel postponendo exortæ, idque per totam seriem conjugationum derivatarum, quam generationem novarum futuri temporis formarum, quæ urgente quadam necessitate ad inopiam modorum et temporum sublevandam obtinuit.

Jam vero, si de momento vocalium ad speciem futuri formandam quæritur, hoc quidem regulis, utrique linguæ ex parte communibus,

subjectum est et pendet a literis, quæ præfiguntur et affiguntur. Igitur facile apparet, in sola affixorum collocatione *ante* vel *post*, quod tamen plerisque placet rem obiter adspicientibus, non quærendam esse differentiam inter dua illa tempora cardinalia, quæ verbi motum efficiunt, sed observandam quoque esse interiorem illam, quæ ex affigendi ratione efficitur, vocalium mutationem, quæ in utraque lingua et communes et suas sequitur leges. Mutatio autem illa vocalium, sæpius a nobis commemorata, subtilior quædam est linguæ perfectio, quam tamen in formis nonnullis non omnino agnoscere licet. Quæ præmittuntur literæ pronominales carent vocalibus vel, ut ex more Grammaticorum loquar, Sch'wa vel G'ezma insigniuntur, quod tamen haud raro pendet ab indole stirpis et formæ futuri. Quod autem hac in re præcipue valet, fortis est et acris vocis intentio ad stirpem efferendam ut suum retineat principatum, unde efficitur, ut literæ præ- vel postpositæ eidem inserantur et quasi solvantur, id quod sæpe in aliis linguis, etiam in nostra, observare licet; attamen illæ litteræ, quæ stirpi suffiguntur, ratione evidentiori ad commutationem formæ valent. Quo enim radici propius accedunt, eo magis enuntiationis vim sibi vindicant. Literis afformantibus stirpi annexis non solum ipsa pronuntiatio turbatur, verum etiam toni acumine in aliam syllabam translato literæ suffixæ interdum eo valent, ut universam vocis vocalitatem destruant. Quo quidem in genere apparet collisio quædam inter ultimam stirpis syllabam et vim, quam ad mutandum exserunt suffixa. Hinc omnes et singulæ formarum mutationes. Junguntur vero stirpi suffixa duplici agglutinationis modo, vel litera vocali vel consonante, quod in syllabam, vocem conficientem, vim habet valde diversam. Quæ ex tono, ab ultima vocis syllaba in adnexam translato, oritur mutata facies, in utraque lingua parum habet discriminis. Ad novas

vero futuri formas fingendas suam quæque et diversam secuta est viam, cujus vestigiis scrutandis et notandis commentatiuncula nostra absolvatur.

Quanta nobis formarum, siquidem earum respicias e radice verbi effluvium, in lingua Hebræa apparet ubertas, atque longe major in Arabica, quam inter omnes, quibus homines loquuntur, linguarum uberrimas facile numeres, præsertim si placeat non minus considerare rationes illas varias et subtiles, quibus in se ipsa evolvenda et ditanda progressa sit, quam facilitatem mutationum cum vi iis insita conferrre, tanta etiam est linguæ Hebraicæ, si quæritur de temporibus et modis, et certe ab initio fuit linguæ Arabicæ, egestas. Qua quidem in re unum ex multis et sane præcipuum inter linguas Semiticas et quas dicere solemus Occidentales, cernere licet discrimen. Cum enim hæ primitus tria temporis, quæ cogitari possunt, (præsens, præteritum, futurum) discrimina et probe senserint et formis distinxerint separatis, semitica lingua intra duas substitit formas, temporis modique discrimen universum exprimentes. Nec vero est, quod dicam, inopiam istam specie potius fallere quam veram esse, et cogitationi ejusque divergiis non invenienda fuisse signa, quibus possent exprimi. Sæpe satius est ex loco angustiori ad eundem pervenire exitum, quam vim luxuriantem evagando perdere. Jam igitur quæritur, quomodo rem tractarint Hebræi, quomodo Arabes, et quis fructus inde cuique redundaverit.

Eam esse vim et potestatem formæ *futuri*, ut adhiberetur ad subveniendum inopiæ modorum, quos appellamus Optativum et Conjunctivum, et ad tempora quoque deficientia notanda, non opus est dicere. Denotat enim hæc forma notionem aut futuram omnino aut nondum prorsus perfectam, ex qua notione simul actionis, quæ evenire debet,

incertæ et conditionibus subjectæ denotatio emanat. Est igitur ea latissimi ambitus, neque alia aderat, quæ præter temporis denotationem modis simul subjunctivo et optativo aliisque varietatibus notandis melius potuit inservire. Rem tamen diligentius examinanti apparet, Hebræos hac in re intra culturæ incunabula substitisse, tam enim levia sunt initia et indigesta, ut solum in illis cernere liceat, quidpiam majoris momenti esse meditatum, cui tamen regula linguæ continua et firma superstrui non posset. Hebræorum interea futurum eam exhibet vicissitudinem, quod partim accessione ad formam ejus nativam facta, et partim eadem decurtata, duæ novæ exstiterunt, quarum alteram Grammatici vulgo appellarunt paragogicam, alteram apocopatam. Quæ autem adjungitur accessio non est nisi *h* illud paragogicum, quod præfigitur primæ personæ sing. et plur., rarissime tantum secundæ vel tertiæ. Percurrit totum systema verbale, et stirpes et surculos. Occurrit tamen raro in verbis לה, neque se passivis formis, nec ubi suffixa pronominalia adsunt, adjungi patitur. Exstitisse vero videtur, ut vicem deficientium modorum, de quibus diximus, suppleret. In hoc tamen quamvis tendat tota hujus varietatis ratio, nonnumquam erit difficile, diversas illas significationes, quæ formæ tribuantur, discernere. Neque enim adhuc ita erat in ordinem concinnata, ut ex norma quadam certa adhibita existimetur. Ad hanc mutatam futuri speciem referenda etiam videtur forma illa, cui præfixum est ו conversivum, cujus originem et hinc ortam significationem in controversiam revocare jam frustra tentabitur. Hæc autem forma, licet nihil cum illa, quam supra exposuimus, habeat commune, nisi quod adaucta fuit, et præsens quoddam præteriti formando inserviat, seu indicando actionem in temporis puncto præterito præsentem, quod vulgo appellant Imperfectum, tamen propter solam

flexionem ad formas futuri adauctas referri debet, præcipue cum accessio ־ pro stirpis indole ipsam formam paullulum agitet. Simile quoddam præbet lingua Arabica, quamquam in illa non ita conglutinantur literæ, ut in unam vocem abeant. Longe alia est et ab hac diversa indoles formæ decurtatæ, quippe quæ nec in omnibus verbis neque in singulis conjugationum formis sit obvia. Verbum regulare l. sanum illam non habet nisi in Hiphil, correpta vocali secundæ syllabæ, quæ formatio communis est Kal et Hiphil in verbo quiescente עו, præcipue autem dominatur in verbis לה. Quæcumque persona futurorum in ה quiescentem desinit nullaque afformante aucta est, persæpe admittit formam apocopatam, qua illa ה una cum vocali præcedente prorsus perit. Hanc apocopen aliis in locis cum nulla, in aliis cum aliqua ulteriori mutatione, ab indole stirpis pendente, conjunctam videmus. Significatio illius prope accedit ad eam, quam habet futurum paragogicum, et plurimis locis, quibus apparet, hoc ejus esse videtur, ut rationem modi conjunctivi exprimat. Hæc autem cum in tota verborum serie non sit obvia, difficultate quadam semper laborabit consilium, quod tendat ad verum illius sensum determinandum, præsertim cum nihil, quod respondeat, in verbis, decurtationem non admittentibus, investigari possit.

Quod si hæc futurorum conformatio ad paranda nova subsidia flexioni verborum perficiendæ apud Hebræos quasi in primis experimentis cessavit, Arabibus contra leve initium ad meliorem progressum et splendidum finem elevare contigit. Apud hos duæ illæ verbi formæ cardinales, quas ex usu recepto nominamus præteritum et futurum et præcipue hoc posterius, ejusmodi nactæ sunt vim varie et accurate distinguendi temporum modorumque sæpe subtilem diversitatem, ut ni-

hil hoc in genere deesse videatur. Apte ad hanc causam ipsa futuri forma pro diversis notionibus variaque, quam in enuntiatione tenere potest, vi et positione multis modis variata est. Quattuor præcipue hujus generis variationes breviter distinguamus:

1. Formam *Raf'atam*, quæ actionem simpliciter futuram denotat, sono *u* insignitam, cuique cum præsenti tempori signando frequentius inserviat ad futurum simplex et absolutum luculentius exprimendum vocula س, ex سَوْفَ detruncata, præfigi solet.

2. Formam *Naçbatam*, quæ non obtinet nisi ita, ut ad certum orationis membrum sese referat ab eoque solo pendeat. Hæc futuri forma adhibetur, ubi nos Subjunctivum ponimus, subjecta particulis, quæ in universum Latinorum *ut* respondeant. Loco *u*, formæ Raf'atæ proprium, hæc semper habet *a*, quod potissimum ejus insigne est censendum.

3. Formam *G'ezmatam* (*Erpenii* futurum apocopatum) per apocopen in fine decurtatam propter concitatiorem sermonem et vim conditionalem, quæ particulis quibusdam, ei præpositis, inest. Duabus notatur rationibus, ita ut apocope partim tollat vocalem tertiæ radicalis, quo forma hæc G'ezmata apparet, partim *n* finale auferat.

4. Formam *Emphaticam*, ab aliis futurum paragogicum vel energicum nominatam, quæ ad majorem vim sermoni conciliandam adhiberi solet, id quod fit imperando, excitando, interdicendo, interrogando &c. Terminatio illius est *anna*, quæ tamen interdum mutationibus, genio linguæ congruis, est obnoxia. Brevior juxta hanc forma usu recepta est, quæ *an* simplex pro *anna* effert, poëtis præcipue fre-

quens, et sic finitum videre licet quadruplicem hanc futuri formationem in sequenti conspectu formæ activæ ipsius stirpis expositam.

F. Emphatica.	F. G'ezmata.	F. Naçbata.	*F.* Raf'-ata.	
يَقْتُلَنَّ	يَقْتُلْ	يَقْتُلَ	يَقْتُلُ	Sg. 3. m.
تَقْتُلَنَّ	تَقْتُلْ	تَقْتُلَ	تَقْتُلُ	— f.
تَقْتُلَنَّ	تَقْتُلْ	تَقْتُلَ	تَقْتُلُ	2. m.
تَقْتُلِنَّ	تَقْتُلِي	تَقْتُلِي	تَقْتُلِينَ	— f.
أَقْتُلَنَّ	أَقْتُلْ	أَقْتُلَ	أَقْتُلُ	1.
يَقْتُلَانِّ	يَقْتُلَا	يَقْتُلَا	يَقْتُلَانِ	Du. 3. m.
تَقْتُلَانِّ	تَقْتُلَا	تَقْتُلَا	تَقْتُلَانِ	— f.
تَقْتُلَانِّ	تَقْتُلَا	تَقْتُلَا	تَقْتُلَانِ	2.
يَقْتُلُنَّ	يَقْتُلُوا	يَقْتُلُوا	يَقْتُلُونَ	Pl. 3. m.
يَقْتُلْنَانِّ	—	—	يَقْتُلْنَ	— f.
تَقْتُلُنَّ	تَقْتُلُوا	تَقْتُلُوا	تَقْتُلُونَ	2. m.
تَقْتُلْنَانِّ	—	—	تَقْتُلْنَ	— f.
نَقْتُلَنَّ	نَقْتُلْ	نَقْتُلَ	نَقْتُلُ	1.

Non est, quod dicam, me ab ista longissime abesse opinione, doctrinam de futuri formationibus in utraque lingua hoc modo exponi a me atque absolvi potuisse. Multa sane eorum, quæ si sola spectetur formatio proponenda essent, jam restant, interque ea ipsa expositio, quomodo hæ formæ, tantopere variatæ, apte ad usui suo serviendum adhi-

beantur, qui quidem locus maximi est momenti, at vero cum in syntaxin alte descendat, eundem jam a me relinquendum et solam formarum doctrinam tractandam titulo hujus mihi injunctæ disquisitionis cedens existimavi. Quid in genere de indole utriusque linguæ sentiam, cujus studio magis quam reliquarum Semiticæ originis incitati videntur nostri homines, non nisi exigua harum linguarum parte tractanda adumbrare tantum, non vero in plenam veritatis lucem proferre potui. Attamen his angustis limitibus circumscriptus comparationem inter utrasque instituere sum conatus, ut ratio illa, qua invicem contineantur, ex parte conspicua foret. Rem vero ipsam, quæ mihi tractanda fuit, ita proposui, ut ostenderem, late patentes futuri formas in lingua Arabica ita esse excultas et ad normam compositas, ut defectum temporum modorumque omnino tollant. Quam tamen præstantiam linguæ Hebrææ vindicare nullo modo potuerim, quamvis probe perspiciam, etiam in hac particula similitudinis quandam rationem utrisque inesse. Futuri autem Hebraici variationes, si significationem respexeris illis exprimendam, invicem commiscentur, nullis certis legibus parent et ex parte tantum in quibusdam verbi classibus obviæ ne in tota quidem futuri forma valent. Perfectam hujus rei expositionem jam significavi ad Syntaxin pertinere et volumen potius, quam pagellas desiderare. Quod tamen, ut potui, hac in disquisitione coarctavi, specimen dabit judicii, quod in hac re sum secutus; in hoc etiam positum sit jus illud, quo in aliud tempus ea supprimam, quæ sunt subtiliori ratione dijudicanda.